Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26829
Copyright: Admont, Benediktinerstift

alteri prestitisset. Et ut breviter dicam, nulla res tam bona quam misericordia perierat in illis cladibus et mitis affectio. hisque irritabantur noxii, quae miseranda vidissent. a vivis in mortuos, a mortuis in vivos iracundiam transferentes. Modum autem excercente metu superstitibus mortui velut adepti requiem beatiores videbantur. et qui erant in custodiis comparatione sui cruciatus insepultos quoque fortunatissimos demonstrabant. Omne quidem ab illis ius hominum calcabatur. ridebatur etiam divinitas. prophetarumque responsis tamquam vulgaribus fabulis illudebant. Cum vero multa contempsissent de virtute ac vitiis statuta maiorum, etiam quae in patria olim praedicta fuerant vera exitu probaverunt. Vetus enim sermo quidam ferebatur tunc demum civitatem captum iri, sancta quoque flammis excurenda esse cum de lege belli seditio fuisset exorta, fanumque dei propriae manus ante violassent. quibus Zelotae nichil de eorum fide dubitantes ministros se prebuerant.

It Iohannes iam dudum tyrannidem affectans, pari cum similibus honore haberi decus existimabat. paulatimque sibi nequiores adiungens, ab eorum affectione separabatur. Semper autem aliorum decretis non obediendo suaque iubendo imperiosos, quod solus dominari cuperet non latebat. eique sociabantur non nulli metu, alii gratia. mirus enim erat oratione atque fallacia persuadere quae vellet. multi vero propterea quod sibi tutum esse ducebant, priorum delictorum causas uni potius ascribi quam omnibus. Ad haec quia manu strenuus erat et bonus consilio, satellites non paucos habebat. et si magna pars contrariae factionis eum reliquerat, apud quos etiam livor non nichil valebat, grave putantes ut paulo ante pari succumberent. Plus autem eos metus ne sub unius potestate viverent exagitabat. nec enim facile sperabant eum si semel obtinuisset deici posse. occasionemque in se habiturum timebant quod in principio restitissent. Unde quisque bellum quod diversis pati decreverat, quam sponte serviens mancipii loco perire. His quidem seditio dividitur et Iohannes in contraria dissentientibus parte regnabat. Sed inter ipsos quidem munita erant omnia custodibus. nichil autem parvum agebatur si quando armis in populum lacessebant. In populum vero vel maxime contentionem susceperit. et quis maiorem praedam caperet utrique certabant. Cum tamen civitas trium malorum ingentium tempestate laboraret, hoc est belli, dominationis, itemque seditionis, eorum comparatione bellum popularibus mediocrius videbatur. Denique relictis sedibus patriis ad alienigenas perfugiebant, et romanorum beneficio salutem quam inter suos desperaverant assequebantur.

Quartum vero praeterea malum commotum est gentis excidio. Haud procul ab Ierosolimis castellum erat validissimum reponendis opibus admonita belli tutandisque corporibus ab antiquis regibus edificatum, quod Mesadam dicebatur. Id occupaverant qui appellantur sicarii, quod a rapinis amplioribus timore continebantur. Hi cum romanorum exercitum ociosum viderent, apud Ierosolimam vero Iudeos dominatione atque discordia secessisse, immaniora facinora aggrediuntur. dieque festo azimorum quae apud hebreos ad memoriam salutis quo egyptiorum servitio liberati in terram patriam devenerint sollempniter celebratur, nocte deceptis qui ibi erant oppositi, municipium quoddam Galaadin nomine pervasere. ubi pugnam quidem